



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Io. Baptistæ Portæ Neapolitani Magiæ Naturalis Libri  
Viginti**

**Della Porta, Giambattista**

**Frankfurt, 1607**

Quomodo ebrius magnes ad suum officium redeat. Cap. XLIX.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70772](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70772)

*Virum magnetis virtus allio impediatur.*

## CAP. XLVIII.

**N**unc ad alias magnetis proprietates pertranseundum, & primo vtrum magnes in attrahendo impedimentum aliquod recipiat. Plutarchus inquit. Maximus illi cum magnete dissensus, quem vocat antipathiam, tantumq; inter has res furdas, & sensu carentes odium, ut ferrum abigat a se, si fricetur allio lapis. Idem confirmat Ptolemæus magnetem non trahere ferrum, si linatur allio, sicut succinum non allicit amplius ad se paleas, nec leuisima quæq; si prius oleo maceretur. Vulgata est sententia inter nautas, quod cæpæ, & allia aduersentur magneti, & qui tali muneri incumbunt, scilicet navigatoriæ cartæ & pyxidi, ab esu cæparum, alliorumq; arcentur, ne in dextro inebrietur. Sed quum hæc omnia experiret, falsa reperi; nam non solum flatus, & ructus alliorum magnetem a suo trahendi munere non distrahebant, sed torus allii succo perunctus, ita priores functiones obibat, ac si nunquam allio perunctus fuisset, & fere nulla, ne dicam minima differentia notabatur, ne videremur antiquorum conatus tam irruos reddere. Deinde quum famam percontarer, vtrum ab observatione pyxidis, qui cæpæ & allia ederint, expellerentur, responderunt, aniles fabellas & ridicula relata esse, & quod eiusmodi homines prius fere vita, quam ab esu allii, & cæpæ se possent abstinere.

*Quomodo ebrius magnes ad suum officium redeat.*

## CAP. XLIX.

**S**i ebrius magnes fuerit, & a sui officij functione longius abibit, non, ut diximus, allii & cæpæ flatu, sed potius ex alijs partibus magnetis contactus, & obsoleta, languidaque virtus euauisset, hoc modo vegetam, & pristinam virtutem reddi cogemus, sepeliendo illud in ferrea scobe per multos dies, quousq; ex ferri consortio, vel halitu recte suo fungatur munere.

*Quomodo magnetis virtus augetur.* CAP. L.

**Q**UAMPLVRIMI sunt, & disertissimi viri, qui magnetis vires augere tentarunt, idq; varijs modis, ut vegetiores virtutes nactus, maximis vltibus utilis esse posset.

Alexan.